

Jd  
3703





Lai 3



ALIQVOT  
PSALMI COMPLEC-  
TENTES QVERELAM  
ET ARDENTEM PRECATIO-  
NEM CONTRA HVIVS SECVLI  
præsentia, & ualde nunc ufi-  
tata iniusta odia, fraudes, et  
calumnias Sycophan-  
tarum, carmine  
redditi.

CVM PRÆFATI-  
ONE EIVSDEM ARGV-  
MENTI.

Bilibaldus Ramsbeck  
Noricus.

Psalms 108.

*Pro eo quod ego diligo eos, aduersantur, &  
detrabunt mihi, ego autem orabam.*

Ecclesiast. Cap. 7.

*Non omnibus sermonibus accommoda cor  
tuum.*

1556.



KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZVHALIE.



ORNATISSIMO VI-  
ro, summaq; Eruditione, pieta-  
te, & uirtute præstanti, Domi-  
no Magistro Paulo Prætorio,  
Reuerendissimi Archiepiscopi  
Magdeburgensis, Domini Sigif-  
mundi Marchionis Brandebur-  
gensis & c, Consiliario, Domi-  
no & Patrono suo perpetua  
gratitudine, & obser-  
uantia colendo.

S. D.



AL Omon Pro-  
uerbiorum Cap.  
10. De concinna  
sapientis, & de in-  
epta, seu maledi-  
ca Sycophanta-  
rum mala lingua in genere in-  
quit: Labia iusti considerant

A ij placis



placita, os uero impiorum per=  
uerfa. Quod memorabile di=  
ctum, seu planè aureum monile,  
Georgium Nazianzenum The=  
ologum in libro 2. Sententia=  
rum spiritualium hisce pulcher=  
rimis uersiculis reddidisse legi=  
mus :

χείλη σοφᾶ σαζουσι ἡδῖσους λόγους  
φάρυγξ δὲ πικρὸς ἐξεργεται μάχας.

*Sapientis ore suaue uerbum profluit :*  
*Fauces amarae nil nisi rixas sonant.*

Etsi autem ( ut hæc genera=  
lia dicta breuiter monent ) illa  
fæua bestia , Sophistica nempe,  
seu petulans lingua , in hoc per=  
uersissimo mundi seculo omni=  
bus uitæ generibus perfidiosè  
insidias struit, & multas graui=  
ssimas contentiones, uolunta=  
tum, quasi perenni odiorum ui=  
rulentia



rulencia inter se belligerantium,  
perniciosas distractiones, & tan  
dem funestas pugnas magno  
cum turbine excitat: Tamen  
illa præcipue in politijs, seu hac  
communi hominum uita domi-  
natur, &, cum maximè conspi-  
cua sit, ac in omnium externos  
sensus, oculos & aures incurrat,  
horribiliterq; hominum uitam,  
& uocationem perturbet, facile  
primatum obtinet.

Cum enim quidam uel ali-  
quo morbo naturæ, uel praua  
consuetudine *ἔγιστοι*, & cauillatio-  
num, ac Sophistices amantes,  
seu uenenatorum conuitiatorum  
alumni, semper à Diabolo pri-  
mo authore calumniarum, &  
Architectore mendaciorū, exci-  
tentur, ut affluentia fortuna, ho-

A iij            noribus



noribus, & existimationē uitæ  
ornatis inuideant, eō etiam per=  
trahuntur, ut contra commune  
uinculum, & foedus pacis sanctē  
seruandum, ac contra manife=  
stam ueritatem, propriāq; con=  
scientiam, tandem excruciantia  
clandestina incendia iniustorum  
odiorum, quæ longo tempore  
Cainino more altas radices ege=  
runt, effundant, & intenti in le=  
uissimas aliquas occasiones, παρά=  
δοξα, seu plausibilia mendacio=  
rum sophismata, quib. aliquam  
inanem gloriam stulti uulgus  
aucupentur, excogitent: Vel  
potius manifestas & notabiles  
calumnias, seu acerba conuicia,  
imo referta plaustra impudenti=  
ssimorum mendaciorum aduer=  
sus infantes, & de communi ho=  
*mi* num uita optimē meritos, com=  
minif=



miniscantur, & honestissimam  
eorum famam allatrent, ac plus  
quàm dente Theonino profcin-  
dant.

Postea autem quadam frau-  
dulenta astutia, Calumnijs (in  
quibus nil ueri, nil sani prorsus  
ineft) apud peregrinos sæpe re-  
petitis, isti honestissimæ famæ  
insidiatores, fures, & latrones,  
qui aliàs omni genere scelerum  
polluti, & contaminati sunt, &  
suis impijs dictis, scurrilibusq;  
fabellis, seu obscœnis iocis tan-  
tum εὐτραπέλαις aures personant,  
& ita offendunt, ut honestate  
morum præditi horum comme-  
moratione abhorreant, etiam  
instabile uulgus, quod patulas  
aures ad omnes fabellas habet,  
& inprimis uirulentis conuicijs,  
cum petulantissimè sparguntur,

A iiij tanq̄



tanq̃ lautissimo cænæ appara-  
tu delectatur, & non alios libel-  
los auidius emit, ac legit, quam  
qui sunt uelut ἀμαξαι βλασφημιῶν,  
sicut & Pyndarus dixit: Sermo  
nes maledicos oppiparum con-  
uiuium esse, sua uentosa, & uiru-  
lenta lingua, in qua nihil non  
mali inest (ut inquit Salomon  
Prouerb. Cap. 10. de lingua ef-  
freni & garrula) prouocant, ut  
sine aliquo discrimine Sophisma-  
tum præstigijs, seu delationibus  
stulta & temeraria credulitate  
applaudat, & tandem innocen-  
tes coeco quodam iudicio & im-  
petu damnet, ac bonorum eti-  
am uoluntates sincerius, & can-  
didius sentiendi abalienent, in-  
fontes, uel iniustè circumuentos  
miserè opprimant, quasiq̃ ex-  
carnificent, sicut illa dicta, quæ  
uerissima sunt testantur:



Audacter calumniare, semper enim aliquid hæret. Id est, Etiam si mendacium tandem deprehenditur, tamen cum nihil facilius emittatur, citius arripitur, & latius dissipetur, nihilque magis (secundum Ciceronem) uolucres sit, quam maledictum seu calumnia, huius cicatrix, & aspersæ labeculæ uestigium semper apparet, et mala suspicio remanet quæ profectio iniuste circumuentis plurimum apud extraneos, qui gestarum rerum omnino nescij sunt, nocet, ac innocentes non leuiter, sed ex imo corde, excruciat.

Ecclesiast. Cap. 8. Calumnia conturbat sapientem, & frangit robur cordis eius.

Item Cap. 10. Calumniator



tor similis est serpenti qui latens, seu clam mordet.

Sic & Lucianus Samosatenſis Sophiſta in oratione ſua, quam inſcripſit: Calumniæ non eſſe temerè credendum, inquit: Calumnia omnes vires hominis exhaurit, & conſumit etc.

Cum uero huic magno, & non ſatis deplorando malo, uulneriq; uerè immedicabili, homines non ſolum omnibus huius mundi commodis denudati, reiecti & irriſi, uerum etiam omnino oppreſſi, nullum aliud magis præſens, ſeu ſalutare remedium adhibere, & opponere poſſunt, quam ſaltem ardentem precationem, quæ Eccleſiæ Chriſti præcipuus murus, cultus Dei, & fortiffima turris eſt  
(ut in-



( ut inquit Salomon ) Quæq̃  
fremementium Diabolorum igni-  
ta tela extinguit, & horum co-  
natus frangit, & magna, miran-  
daq̃ miracula facit, sicut appa-  
ret in exemplo Ioseph, Moisaë,  
Iosuaë, Eliaë, Elisei &c: Adq̃  
hanc etiam in omnibus rebus  
desperatis, & ambiguis, quæ  
humanis consilijs & auxilijs ex-  
tricari non potuerunt, omnes  
sancti Patres, Prophetæ & Re-  
ges semper confugerint, sicut 2.  
Paralip. 20. pium dictum Regis  
Iosaphat, quod dulcissimam  
consolationem continet, monet:  
Cum ignoramus quid agendum  
sit, hoc solum habemus residui,  
ut oculos nostros ad te Do-  
mine dirigamus, Profectò in-  
gens etiam bonum, & ualde ma-  
gna consolatio est, posse Deum  
puro



puro corde, & minime iracun-  
dia, seu cupiditate uindictæ in-  
flammato, ut prophani homines  
faciunt retaliantes malum malo,  
inuocare, certoq; statuere, se  
Deum propiciū etiam in max-  
imē aduersis rebus habere, qui  
& eorum cura ex imo corde tan-  
gatur, & aliquando patefacta  
ueritate, seu innocentia iusto iu-  
dicio, & præcipiti perditione,  
æternalibusq; horrendis poenis  
& supplicijs, omnes Sycophan-  
tas, & honestissimæ famæ rap-  
tores, sit puniturus.

Deus enim cum sit seueri-  
ssimus iudex scelerum, & inno-  
centum auxiliator, ac patronus  
seruat hanc suam regulam immo-  
te in omnem æternitatem ue-  
ram, ut atrociam delicta scelerato-  
rum,



rum, etiam atrocibus poenis, id est, uel manifestis corporalibus supplicijs et calamitatibus huius uitæ, uel æternalibus poenis in futura uita, nisi scelerati hic egerint poenitentiam, puniat, iuxta hæc & alia infinita dicta sacra, quæ in hac societate humana neruus disciplinæ sunt, ac pijs efficacem consolationem præbent, perseuerantibus uero in maledicentia manifestè calumniosa, obrectationibus uirulentis, & alijs externis sceleribus, terrorem incutiunt, tandemq; æternum exitium adferent.

Psal. 37. Commenda Deo uiam tuam & ipse faciet & educet quasi lucem iusticiam tuam, & iudicium tuum tanq; meridiem.

Item



Item in eodem: Et adiuua-  
bit eos Dominus & liberabit eos  
& eruet eos a peccatoribus, &  
saluos faciet eos. Legatur to-  
tus Psalmus, qui pulchrè docet  
quomodo animus irritatus, &  
cupiditate uindictæ propter ca-  
lumnias, & alias calamitates, in-  
census, piè tranquillandus sit, &  
uolenti animi impetus, qui quasi  
iracundia exardescunt, frenandi  
& extinguendi.

Psal. 36. Vidi impium exal-  
tatum ut Cedros Libani, præ-  
terij & ecce non erat. Salus  
autem iustorum a Domino.

Psal. 58. Lætabitur in san-  
guine peccatoris, & dicet ho-  
mo: Vtiq; est fructus iusto.  
Vtiq; est iudicans in terra.

Prouerb.



Prouerb. Cap. 17. Tarditas  
sem pænæ, grauitate supplicij  
compensat.

Item : Abominatio est co-  
ràm Domino labium mendax.

Item : Diligens rixas, diligit  
peccatum.

Huc referantur & Ethnico-  
rum dicta, quæ ferè infinita  
passim extant, & longa experi-  
entia, quæ prouidentia diuinæ  
Magistra est, comprobata sunt,  
ut :

ἔχει θεὸς ἕκδικον ὄμμα. Habet De-  
us uindicem oculum. Quod sic  
est redditum:

*Omnibus est presens, uindex Deus omnia cernit,  
Supplicijsq; premit crimina, iusta probat.*

Item : Sera tamen tacitis  
poena uenit pedibus.

Item



Item: οὐ γὰρ ἀέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες  
φιλέουσι. Id est:

*Impia facta Deus capitaliter odit abhorrens.*

Et similitum dictorum et uer-  
suum est apud scriptores tum sa-  
cros cum prophannos infinitus  
numerus, et sententiæ istæ omnes  
possunt in hoc unico Euripidis  
breui dicto pulchrè & appositè  
compræhendi:

τῶν ἀχαλίνων σωματῶν τέλος δυσυχία  
Id est:

*Effrenis lingue petulantia uerba uomentis,  
Ultimus est finis perniciofa lues.*

Cum autem in aulis princí-  
pum præcipua dignitas, & gu-  
bernatio sit, iustè latis sententijs  
subditis, & toti Ducatui foeli-  
citer præesse: Ac tibi omnium  
uirtutum



uirtutum Ornatissime uir cum  
alijs multis pijs Consiliarijs in  
aula Reuerendissimi Archiepi-  
scopi Magdeburgensis, Domi-  
ni Sigismundi Marchionis Bran-  
denburgensis &c, maximum  
onus, uidelicet multarum gra-  
uissimarum, & ambiguarum re-  
rum dextra, & iusta dijudicatio,  
incumbat: Multiq; honesti  
& sapientes uiri, singularem tu-  
am humanitatem, candorem, et  
dexteritatem iudiciorum, mag-  
nificè prædicent: Inhumani-  
tas uero, barbaries, & odiorum  
maleuolentia, semper dignitati,  
& nomini bonorum, & docto-  
rum uirorum inimica sit, sine  
omni dubio etiam in tales Viti-  
ligatores, seu Calumniarum tex-  
endarum miros artifices, afflu-  
entia

B

entia



entia tuae fortunae, honoribus  
seu benedictioni diuinae inuidi-  
ose fauentes, aliquando incidis,  
qui omnem lapidem mouent,  
omnesque neruos suorum consili-  
orum, & actionum intendunt,  
ut iusta, pia & felicia consilia ac  
iudicia tua, nigro Momi sale as-  
pergant. Id est: Vel Calumnijs  
onerent: Vel Sophisticè elu-  
dant, ac quoque modo turbent, in-  
quietumque animū tibi reddant,  
iuxta dicta: Fortuna uirtutis  
comes est: Inuidia autem for-  
tunae uestigium sequitur.

Item: Sicut umbra comita-  
tur corpus aliquod splendide  
illustratum a radijs solaribus:  
Ita fortunam inuidia. Quod sic  
redditum est.

Corpus



*Corpus ut umbra comes radiorum lumine sparsum:  
Sic uerum sequitur uis inimica decus.*

Et si autem omnium uirtutum Ornatissime uir pro eximia tua Eruditione, & pietate, fontes uerarum, & efficacium consolationum tibi probè noti sunt: Et ipse in sacris & proprijs ædibus ardentissimas preces pro Ecclesia, & politijs, omnibusq; alijs animi uulneribus assiduè profundis, et ingēminas: Familiamq; ad ualdè pulchram domesticam disciplinam, ipsum Deum, & honestos homines, imo et Barbaros, qui illustri uirtutis, & pietatis admiratione, & commendatione, ingeniorumq; dotibus mouentur, mirificè exhilarantem, uidelicet, ad ueram  
B ij Dei



Dei inuocationem, morum san-  
ctimoniam, compositos & bene-  
moratos gestus, certaꝗ aliqua  
honestas exercitia (ut ipse Berli-  
ni in præsentia Clarissimi uiri  
D. Doctoris Georgij Sabini, &  
D. Magistri Iacobi Cunonis, in-  
ter cænandum, magna iucundi-  
tate huius rei illustria signa &  
uidi, & studiosè animaduerti)  
adsuefacere, & educare maximè  
te studes: Tamen ut certò, &  
publicè tibi constaret, mihi om-  
nes tuas res, quantum quidem  
pro fortunæ, & ingenij exiguita-  
te in me esse potest, uerè cordi  
esse: Tuꝗ in honesta tua gu-  
bernatione, & publica dignitate  
contra impostores semper sine fi-  
ne & modo detrahentes & ca-  
uillantes, quasiꝗ perpetua ue-  
fania



saniam mentis, & uirulentia odiorum laborantes, alicuius ardentissimæ precatationis aliquot explicatum, selectum, seu aptè ac piè compositum exemplar haberes, illoq; te optimè communiures, inter cæteros Regij Vatis Psalmos, pulchra lumina uerborum & rerum, multiplicemq; doctrinam, & efficacissimas consolationes complectentes, mirabilesq; uariarum Calumniarũ & tentationũ agones exprimentes, ordine Psalmum 5. 10. 27. 28. 31. 34. 35. 55. 56. 62. 63. 64. 70. 86. 94. 109. 120. et 140. Tuæ Excellentia in mentem reuoco, & in ista tua gubernatione assidua recitatione, & inuocatione pro auxilio diuino, contra uirulentos Sophistas, & rixosos

B iij

osos





osos Calumniatores , meditan-  
dos , ac reuoluendos præcipue  
commendo.

Hi enim cum à Dauide in suo  
tristi exilio , & alijs magnis , ac  
summis calamitatibus , contra su-  
os hostes , & uenenatos blandi-  
loquentes Hypocritas , sint com-  
positi , & haud dubiè deinceps  
sæpe ab eo oculis in coelum de-  
fixis , & suspirijs ex imo corde ,  
seu alto pectore ductis , ingemmi-  
nati , Sophistica etiam iudicia  
cuiuscumq; uel temporis uel sta-  
tus uitæ , Calumniatorum , qui  
aliorum honesta dicta & facta ,  
potius suis priuatis adfectibus  
indulgentes , quam concordia  
publicæ consulentes , malitiosè  
lacerant , cõuicianturq; , optima  
imagine depingunt , & pijs gu-  
bernato-



bernatoribus, & alijs bonis pri-  
uatis personis iniuste Calumnijs  
circūuentis, magna & efficacis-  
sima consolatio sunt, ac præci-  
pue eos docent, & adhortantur,  
ut in ista diuersitate, & prauita-  
te iudiciorū minimē animis fran-  
gantur, sed *ἀνεξικακούς*, tolerantes  
iniuriarum sint, omnis generis  
cōtumelias, & amarulentos Sar-  
casmus, qui insuper ab quibusdā  
*ἐπιχαιρέκακοις* adduntur, patienter,  
æquo, & constanti animo, cūq;  
gaudio, (ut Paulus Colos. cap.  
I. monet) ferant, & summa ani-  
mi contencione tantum ad De-  
um uerum auxiliatorem, & uin-  
dicem scelerum, ueritatiscq;, &  
innocentiæ constantem defen-  
sorem, non ad ulla præsidia hu-  
mana, quæ maximē fallunt, &

B iij

profus



prorsus mutabilia sunt, confu-  
giant, ac de benè transacta æ-  
tate, seu pia uita, & doctrina, di-  
uinum, & iustum, non fuca-  
tum humanum iudicium, coele-  
stisq; uitæ perpetuam læticiam  
expectent, et in hac uita proprio  
puræ, & tranquillæ conscientie  
testimonio se consolentur, sicut  
& Paulus monet, inquiens: Hæc  
sit gloriatio uestra, testimonium  
conscientie uestre .

Item: Probet unusquisq; o-  
pus suum, & sic apud sese glori-  
am habebit, & non ex alio pen-  
det. Id est, Quisq; munere suo  
rectè fungatur, & intra metas  
sue uocationis se contineat.

Deinde sua facta examinet,  
quæ



quæ si rectè facta sunt, habebit  
non stultæ multitudinis popula-  
rem aurem, sed propriæ consci-  
entiæ, & aliorum rectè sentien-  
tium, & iudicantium approba-  
tionem, quæ omnino uera glo-  
ria, ingens decus, maximè etiam  
expetendum & tuendum est.  
Hæc gloria in magnis calamita-  
tibus, iudiciorum uarietate &  
prauitate, aliquot magnum eti-  
am leuamen, iniustis odijs & cas-  
luminijs circumuentis & oppres-  
sis, suppeditat, iuxta communes  
uerficulos:

*Est aliquid magnis crimen abesse malis.*

*Item: Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit  
(intra*

*Pectora pro meritis spemq; metūq; suis.*

*Item: Conscia mens recti famæ mendacia  
ridet.*

*Sed nos in uitium credula turba sumus,*

**B v Et**



Et Salomon inquit Prouerb.  
Cap. 15. Bonum cor iuge con-  
uiuium est & c.

Circumuenti Calumnijs, aut  
alijs leuiter offensi minime hoc  
agent, ut ipsi infidiosa obtrecta-  
tione aliorum, uel quoquo ap-  
plausu stultæ multitudinis, quæ  
gubernatorum & doctorum ui-  
rorum criminationibus, & con-  
tentionibus in primis delectatur,  
& illis uirulentis conuicijs, quæ  
petulantissimè euomuntur, qua-  
si fascinata diu retinetur, cres-  
cant, ex cupiditate uindictæ mo-  
ueant, alijs non mouenda, &  
suspiciones perniciosas unde-  
quaq; ex leuissimis rebus arripis-  
ant, priuatisq; suis adfectibus  
publicas causas prætexant, cuius  
rei



rei etiam nō leuia, sed planē multa  
tristia exempla superioribus  
annis etiam in ipsīs lateribus Ec-  
clesiarum uidimus et talia adhuc  
in isto præsenti iniquo mundi se-  
culo, cum magno piorum luctu,  
& communi coetus Christi cla-  
de, uidere cogimur, & quotidie  
magis, magisque horribilia ex-  
perimur, ubi quidam natura  
cōtenciosi, et Classici scriptores,  
cum tamen prorsus nullam gra-  
uem, aut iustam adeò acerbè tu-  
multuandi causam habuerint, et  
adhuc habeant: Gubernato-  
resque nostrarum Ecclesiarum  
iam tempus, quod ueritatis pa-  
trocinium est, excuset, ac insu-  
per ipsi oculi & aures omnium  
piorum hominum: Item pu-  
rioris doctrinae confessiones  
Christi



Christianæ , & adhortationes  
ad constantiam in semel agnita  
& professa ueritate , seu ( ut uno  
uerbo totum negocium comple-  
ctar ) integrum , perspicuum , et  
incorruptum doctrinæ cœlestis  
corpus piè explicatum , quod e-  
tiam bona fide , ceu depositum  
custodire iubēt , & ad Posteror  
sine ulla corruptela propagare  
maximoperè se student , accusa-  
tiones illas , et maledica cōuicia ,  
refutent , Pij , et benè meritis Ec-  
clesiæ Christi Doctoribus , ma-  
gna uirulentia odiorum , suis  
quibusdam priuatis adfectibus  
incitati , contra candorem , & mu-  
tuæ charitatis uincula , iniustè  
contradixerunt , & adhuc sine  
ullo fine & modo , nimis malici-  
osè suis adfectibus & suspicioni-  
bus



büs inclementibus, inhumanisq;  
indulgentes, contenciosè contra  
dicunt, & multa manifestæ ueri-  
tati prorsus reclamantia, cum  
quadam extrema impudentia,  
adfiungunt. Quo uero aliquam  
etiam speciosam fidem suis falsi-  
ssimis accusationibus addant, &  
auram popularem aucupentur,  
seu plausus sui theatri quærant,  
retineantq; (Oportet enim esse  
aliquem quasi colorem etiam ab-  
surdissimarum opinionum, quo  
pingatur enormis deformitas,  
Wie denn das listige Kerzlein  
eine zeitlang her auch etliche ge-  
schwinde / meisterliche stück /  
seinen vnflat vnd reissete Kla-  
wen / zuuerbergen / vnd zuuer-  
decken / vnd sich auff's aller  
schöneste / vnd zierlichste zu sch-  
mücken /



mücken/sehr wol gelernet hat )  
ueritatem sophismatum præsti-  
gijs seu laqueis inuoluunt, uniuersas  
actiones & excusabilia facta,  
seu infirmitates humanas, eorum  
quos criminantur, rabiosè in pe-  
iorè partè rapiunt, suspectas red-  
dunt, deq; illis alieno sensu per-  
quam populariter declamitant,  
ac contra omnem Christianam  
caritatem ueteratoriè quæ-  
dam carpunt, studiosè Calumnijs  
exagitant, & deprauant, deq;  
rectè facientibus & piè docenti-  
bus iam malas opiniones serunt,  
malum seu ignem diu sopitū  
excitant, ac sic multorum bono-  
rum labores, utiles toti generi  
humano, impediunt, manibus  
item, pedibusq; (ut dicitur) ma-  
ioribus & infinitis certaminibus,  
item



item impijs, & prodigiosis opi-  
nionibus occasiones, seu potius  
causas efficaces, obtrudunt &  
præbent, Darumb denn auch  
(on allen zweiffel) fürnemlich/  
vnd zum aller meisten etlichen  
vnter den selbigen Reformato-  
ribus, ia Perturbatoribus Eccle-  
siarum itzunder zu thun ist / vnd  
nur allein durch dis vnnötiges  
gezenck vnd gewesch / bequem-  
liche gelegenheit / vnd vrsach /  
von einem schlechten zawn ges-  
brochen / suchen / wie sie doch je  
Stoicisch gotslesterliches gift /  
das sie nu eine zeitlang bey men  
behalten / vnd krefftig in irem  
herzen gewiecket / ein mal mö-  
chten heuffig herraus schütten /  
(wie zwar schon bereit von et-  
lichē durch je grausam schreien  
vnd



vnd Crehen / geschehen) vnd  
dadurch abermal der Christli-  
chen Kirchen einigkeit / vnd gu-  
te disciplin oder exercitia ueræ  
pietatis, id est, uitæ & morum  
sanctimoniam, Die on das greu-  
lich gefallen / vnd jmer von  
tag zu tag ganz scheuzlich fal-  
len / je sehrer vnd hefftiger zer-  
stören. Denn wie Salo. pflegt  
zu sagen / vnd solches die ent-  
liche erfahrung auch mit sich  
bringt: Qui uult amicum de-  
serere, ille undequaquæ arripit oc-  
casiones discedendi, & suis pri-  
uatis adfectibus speciosas ali-  
quas, & publicas dissentienti  
causas adtingit. Sicut & om-  
nium horrendum exemplum de  
Arrio manifestè testatur.

Ille enim cum non posset po-  
tiri



tiri Alexandrinæ Ecclesiæ gubernatione, seu Episcopatu, ac quasi tenebras suæ gloriæ ab aliquibus uerè Claris, pijs et sanctis uiris circumfundi uideret: Aliasq; natura esset inanis gloriæ, contentionis, laudisq; & nouitatis improbè cupidus (ut scribit Ruffinus Lib. I. Cap. I. in sua Historia Ecclesiastica) ex mera cupiditate uindictæ, malitia, & dolore repulsæ, prodigiosum, & planè impium dogma, contumeliosum in ipsum filium Dei, excogitat, & quorundam applausu contenciosè, & blasphemè disputat, λόγος non natura, sed tantum participatione, seu largitione gratiæ, filium Dei nominari, id est (ut Ruffini uerbis utar) conabatur filium abscindere,

C

dere,



dere, & separare ab illa æterna,  
& ineffabili Dei patris substan-  
tia & natura. Auff wasserley  
weise er aber söliche Gottesles-  
sterliche lehre beschönet / vnd  
hinaus geführet / vnd wie es im  
entlichen auch darüber ergan-  
gen / erweisen nach aller lenge  
vnd notdurfft die warhafftis-  
gen Historien der Christlichen  
Kirchen / vnnötig alhie zu erze-  
len.

Hoc horrendum exemplum  
isto nostro iniq̄, & mundi ulti-  
mo tempore, profectò faces pu-  
blicarum discordiarum nunc  
maximè mouere debebat, ne  
ita indies suis priuatis adfecti-  
bus indulgerent, & trenos iniu-  
stæ iræ laxarent, ac amplam ali-  
quam fenestram multis impijs  
dogma-



dogmatibus, horrendis uicijs & sceleribus patefacerent, sed animorum coniunctionem, & piam concordiam, iusto, legitimoque modo, non famosis, & maledicis libellis, quales nunc multi magno precio ab quibusdam uenditantur, quererent ac fouerent.

Certissimum enim est, ut alia multa, ac ferè infinita historiae Ecclesiasticae illustra exempla testantur, domesticas contentiones, seu priuata odia, sequi horrendas dogmantum confusiones.

Cum enim quidam leuiter offensi, uel iustè etiam reprehensi, sese ulciscendi, seu in alios acerbè inuehendi, iustas causas non habeant, ut tamen aliquibus e-

C ij grè



grē faciant , aliqua plausibilia  
dogmata , quæ non sunt ἀνάλογα  
fidei , excogitant . Admoniti  
uero amicè propter errores , eos  
nolunt agnoscere , sed potius per  
tinaciter defendunt , ac indies  
magis magisque absurdis , & in ip=  
sum Deum blasphemis opinio=  
nib. defendunt , ac quomodo ex=  
cusant , artificioseque fucant . Cum  
autem suis cupiditatibus in fin=  
gendis impijs opinionibus ita in=  
dulgeant , & absurda absurdis  
accumulent , uideantque se refuta=  
tos , & à proprio conscientia  
testimonio grauius corripiti , &  
euerfos esse , tandem etiam αυτοκα=  
τάκσιτοι , id est , seipso condeman=  
nantes horribiliter peccant , & ple=  
runcque finem tam actionum , quã  
uitæ suæ planè infelicem , et hor=  
rendum fortiuntur . Igi=



Igitur (inquam) onerati Calumnijs, aut alijs leuiter offensi, iuxta mandatum diuinum, et omnia honesta Politica præcepta, & consilia, odij et cupiditatis uindictæ conceptas flammæ, quam primum extinguant, ijs non indulgeant, tolerantes sint iniuriarum, & multa publicæ tranquillitati condonent. Non de omnibus rebus acriter pugnent, aut tragœdias funestas cum publica Reipub. & Ecclesiæ clade, excitent, sicut illi nihili homunciões faciunt, qui leuiter contumelia adfecti, aut alijs offensi tantum, uel læsi sunt, animo non possunt conuiuiscere, quin acriter, & acerbè, conuitia, more leuissimarum uxorcularum in balneis feruentium, conuitijs rependant, et sese uindicient. C iij Cum



Cum enim multò utilius est tacere, quam respondere, illa leuiora conuicia magna patientia quasi musitanda, dissimulanda, silentioq; obruenda sunt. Sicut & Propheta Esaias Cap. 30. monet, inquiens: In silentio & speret fortitudo uestra.

Item Salomon Prouerb. 12. Stultus statim iram suam prodit: At Callidus, seu sapiens dissimulat iniuriam, et iram suam.

Et Euripides inquit: Duobus loquentibus altero irato, nõ contra tendens sapientior est.

Accusati uero de planè manifestis, atrocibus, & enormibus criminibus, ad concessa media fugiant, legitimoq; modo, modestè & placidè, non impetuosè  
aut



aut pugnaciter, seu cum uirulen-  
tia, acerbitateq; animorum se  
purgent, ac non sæua, uel acerba  
conuitia & probra in alios detor-  
queant, Verum maximoperẽ se  
studeant, et totis uirib. laborent,  
ut propria uita, seu externorum  
morum, & actionum honestas,  
Item tempus, quod ueritatem in  
lucem producit, iuxta cõmunem  
uersum :

Ἄγε δὲ ἐς φῶς τῶν ἀλήθειαν ἄγονθ.

*Tempora perpetuo uoluuntur, et omnia secum*

*Motibus in lucem deniq; uera trahunt.*

conuitia, & criminosos sermones  
refutet, sicut & Cicero ualdẽ sa-  
pienter, & grauiter de se inquit,  
& multa atrociam cõuitia suorum  
Calumniatorum ista elegantia,  
& uenustate uerborum refutat :  
Male mecum agitur, si me ora-  
tio potius, quam uita mea, uel ex-

C iij

cuset,



cuset, uel obiurget.

Et D. Gregorius Naziāzenus  
ait, magis præstare benè uiuere,  
quam benè dicere. Disticha ex-  
tant in Lib. 3. Sententiarum spiri-  
tualium :

Σὸς λόγος ἔργον ἔμοιο, ὅς οὐ καλὸν ἔρεξεν,  
ἔυεπίηρ ἔχέτω σύμμαχον ἀμείβετορ.  
Sint tua dicta, meum sit factum. Turpia patrans  
Facundi dubiam uendicet oris opem.

Hoc sapienter etiam monet  
iste pulcherrimus antiquus Rhyth-  
mus Germanicus :

Hüte dich für der that /  
Der red wird noch wol rhat.

Si modo uitabis sceleratæ crimina uitæ,  
Et stabili facies munia iussa fide,  
Consilium inuenies etiam cum tempore, morsus  
Inuidiæ ut superes, teq; tuumq; leues.

Quia autem hæc plena pieta-  
tis & grauitatis ualde salutaria  
& honesta præcepta, de exæstu-  
anti uidelicet ira frenanda, Da-  
uid



uid mole acerbissimarum Calu-  
mniarū & calamitāū probē exer-  
citus, in supra citatis Psalmis,  
tanq̄ optimus, & longē exercita-  
tus artifex, ~~est~~ compræhensus, hi <sup>dit</sup>  
in similibus afflictionibus no-  
stris, quando uidelicet Syco-  
phantæ calumniosē nostram bo-  
nam famam undiq; circumro-  
dunt, & nos in alijs magnis ca-  
lamitatibus sumus, sæpe medi-  
tandi, et assidua inuocatione in-  
geminandi sunt.

Ne autem ego te Ornatissi-  
mum, & multis publicis nego-  
cijs assiduē occupatum uirum,  
longa, & molesta lectione one-  
rarem, breuitatis causa ex supra  
citatis Psalmis, tantum sep-  
tem, quasi insigniores Psalmos,  
complectentes Querelam & ar-  
dentem

C v

dentem



dentem Precationem contra Ca-  
lumniosa, & Sophistica iudicia,  
odiatq; iniusta Sycophantarum,  
uidelicet Psalmum 52. 62. 63. 64.  
70. 120. & 140. excerpti, eosq;  
Tuæ Excellentiae tanq; meo in-  
timo Patrono, ut qui inprimis  
peruersa iudicia, mendacia, &  
suspicaces, rixosafq; naturas dete-  
staris & fugis, ueritatifq;, can-  
doris animi, & publicæ concor-  
diæ, seu tranquillitatis commu-  
nis, constans adsertor es, & pe-  
ctus tuū aduersus Sycophanticū  
morsum ardenti precatione, san-  
ctimoniaq; uitæ, optimè præmu-  
nis, utcunq; Carmine redditos,  
offerendos, & dedicandos duxi.

Peto autem uehementer, ut  
hæc ualde exilia tyrocinia, ac pu-  
erilia Psalmorū Poëmata in pu-  
blicum



blicum gratitudinis, & meæ er-  
ga te obseruantiaē testimonium,  
sereno uultu suscipias, ac me ( ut  
facis ) totum tuæ fidei deditum,  
commendatum habeas.

Benè & feliciter ad omnes per-  
petuitates cum tua honesta fa-  
milia in Domino uale, quem  
ardentibus uotis precor, ut Ec-  
clesias, & politias, in isto extre-  
mo mundi exulceratissimo secu-  
lo ab omnibus suspicacibus, ra-  
biosis, & maledicis Hypocratis,  
ambitione, & conuicijs, cum pu-  
blica pernicie certantibus, deq̃  
negocijs ignotis ex mera Arro-  
gantia & *πολυπραγμοσύνη* temerariè  
& iniquè iudicantibus, ab om-  
niq̃ noxio scandalo, liberet. Et  
te cum cæteris honestis & pijs  
Confili-



Consiliarijs in ista publica Con-  
siliarum gubernatione guber-  
net, & regat. Ac ad utilitatem  
Ecclesiæ & scholarum in aulis  
Principum tibi similes liberali-  
um, & piarum artium bonos fau-  
tores, & promotores, quam plu-  
rimos clementer excitet. Ac te,  
illos, & nostrum Reuerendissi-  
mum, atq; Illustrissimum Prin-  
cipem, ac Dominum, D. Sigis-  
mundum Archiepiscopũ Mag-  
deburgensem, & Marchionem  
Brandenburgensem &c, Cum  
eius Celsitudinis uerè sapienti, e-  
rudito, eloquenti, & pio Geni-  
tore, Illustrissimo Principe ac  
Heroe, Domino Ioachimo II,  
Electore &c, Et Generosissima  
matre, ac tota inclyta, antiquaq;  
Marchionum familia, florida æ-  
tate



tate diu saluos & incolumes seruet. Ac cum Deus noster uerum, & candidum sal sapientiæ sit, nunc etiam Doctoribus Ecclesiarum eundem candidum sallem cœlestis doctrinæ, id est, iuxta normam diuinam, iudicij rectitudinem, doctrinarum consensum, & piam concordiam, seu animorum coniunctionem candidè sentientium, largiatur, sicut etiam ipse filius Dei de illo sale loquitur, grauitè admonens suos discipulos, id est, omnes pios Doctores, & gubernatores, ut inter ipsos summa animi contentione pium consensum ueræ doctrinæ, & animorum, uoluntatūq; coniunctionem, retineant, foueantq;. Sic enim, etsi breuibus, attamen ualdè emphaticis uerbis,



uerbis, inquit: Salem retinete  
in uobis, & sitis concordēs.

Et Paulus hunc dulcem ser-  
monem sui Domini repetens,  
magna, & uenustate, & graui-  
tate uerborum inquit: Sit ser-  
mo uester sale conditus. Id est,  
Non sit *μωρολογία καὶ ἑυτραπέλεια* (ue  
alibi monet) non sit impia, pro-  
phana, obscœna, fordida, futilis,  
& cauillatrix garrulitas. Non  
falsis, non insulsis, non prodigi-  
osis paradoxis, non item non ne-  
cessarijs certaminibus, sugillati-  
onibus, obtrectionibus, calum-  
niosis, & mendacibus conuicijs,  
seu non exploratis delacionibus,  
Ecclesiarum pium consensum  
turbate, quæ postea efficacem  
causam præbeant multis blasphe-  
mis



mis opinionibus, et ut edicta cru-  
enta, parricidalibus mucronib.  
( ut sic dicam ) munita, ab hostia-  
bus purioris doctrinae aduersus  
Euangelij constantes Professo-  
res promulgent, & multae Eccle-  
siae fuditus, radicitusque uertant,  
& pereant.

Quae ingentia, & nulla uoce  
satis deploranda mala, ut Deus  
clementer a nobis arceat, & sibi  
semper inter nos per uocem Eu-  
angelij Ecclesiam aliquam colli-  
gat, ac eam inter praesentes Impe-  
riorum horribiles ruinas, et ma-  
gnos Turcicos progressus, Dia-  
bolorumque ingentes furores, ser-  
uet, perque Angelicas suas excu-  
bias custodiat, Te fili Dei Do-  
mine Iesu Christe, crucifixe pro  
nobis et resuscitate, λόγος καὶ εἰκὼν αἰ-  
διου



Ἡς ἀϊδίου πατρὸς auxilio mens nostrā  
stra tuo confisa precatur.

Iterum in Domino uir Cla-  
rissime, & Ornatissime cum tua  
honestā & pudica coniuge, dul-  
cissimisq; liberis, & tota familia,  
in Domino uale.

Vuitebergæ in die festo Mich-  
aelis Archangeli, quo Deo a-  
gunt gratiæ pro excubijs Ange-  
licis. Anno salutis Christi 1556.

T. Excellentiæ

Studiosissimus:

Bilibaldus Ramsbeck  
VVeissenburgensis

*Hoc licet exiguum est, tamen haud ingrata uolūtas,  
Ista tibi, spero, magna uolentis, erit.*



# SEPTEM PSALMI

ΠΡΟΣΕΥΧΗΤΙΚΟΙ CONTRA INIVSTA  
ODIA, FRAVDES, ET CA-  
LVMNIAS SYCOPHAN  
TARVM, CARMINE  
REDDITI  
ETC.

## PSALMVS LII. QVID GLORIARIS IN MA- LICIA TVA &c.

**I**mpie qui uita scelerato crimine sordes,  
Omnibus & uicijs pectora plena geris.  
Cur ita nequitia gaudes, & in omnibus ausis  
Volueris, & propter crimina facta tumes?  
Et iactas immane tuum scelus ore superbo,  
Inq; malis altum quæris habere decus:  
Solis ab exortu medium dum Phœbus Olympum  
Transcendit, uergens occuluitq; caput.  
Assidue tacitas struxisti pessime fraudes,  
Assidue es dirum præmeditatus opus.  
Sicut acuta dolum facinusq; nouacula tecum  
Mente figurasti semper amante mali.  
Plus scelus ardenti complexus es impie motu,  
Quam bona, tranquilla quam pietatis opus.

D Plus





Plus tibi cura fuit linguis iniusta profari,  
Vanaq; quam uigili conscia uera Deo.  
Falsa tibi cordi mendacia spargere lingua,  
Tetraq; uerba loqui precipitata, fuit.  
Propterea in finem Dominus super aethere uindex  
Te ruet in cineres, exitioq; dabit.  
In nihilum rediget te, funditus eruet ira,  
Destruet & nomen, progeniemq; tuam.  
Heredemq; tuam radicem euellet ab imo,  
In terra nec erit nominis umbra tua.  
Aspicient iusti mirandaq; facta uidentes,  
Accensa metuent relligione Deum.  
Et super iniusta uisus & gaudia ducent,  
Dicentes uno talia uerba sono:  
Ecce homo qui Domino caeli parere uocanti  
Noluit, & tetrum linquere corde nefas:  
Nec Domino uoluit socio confidere corde,  
Nec uersis animis ad bona, iusta sequi:  
Sed numero confidit opum, rebusq; secundis,  
Diuiciasq; suum credidit esse Deum.  
Et sibi confidens perrexit in omnibus ausis,  
Et scelere accreuit praeualuitq; suo.  
Verum ego qui Dominum non falso diligo corde,  
Numine florebo uiuificante Dei.  
Inq; domo Domini totis radicibus haerens,  
Floridus aeterno stabo rigante Deo.

Sicut



Sicut oliua potens uerni quæ tempore frondes  
 Explicat, & lætis floret amicta comis.  
 Temporibusq; suis fructum cum foenore reddit,  
 Atq; oculos Domini pascit amena sui.  
 In miserante Deo mihi fixum in secula pronum  
 Cor fuit, in Domino spes mea sola stetit.  
 Mitis & alme Deus tibi læto in secula corde  
 Totus adhærescam, te sine fine colam.  
 Quicquid habemus enim diuinæ in pectore uitæ,  
 Quicquid opis reliquū munus id omne tuū est.  
 Tu facis & semper fecisti ab origine mundi  
 Solus, & à solo te fluit omne bonum.  
 Expectabo tuum laudandum in secula nomen,  
 Semper honorificum nomen habebo tuum.  
 Namq; tuum nomen sanctum est, & amabile sanctis,  
 Omnibus incensis agnitione tui.

**PSALMVS LXII. NON.**  
 ne Deo silet anima mea? &c.

**F**reta Deo menti tribuit fiducia pacem,  
 Auxilioq; malis pectora fessa leuat.  
 Et mox aduersis uenturum rebus asylon,  
 Optatamq; animo credula sperat opem.  
 Atq; suam à rerum nasci genitore salutem  
 Nouit, & hoc uires destituente mori.

D 2

Nam



Nam uelut arx puro adfectu reuerentib. ipsum,  
Iusticiæq; fuit portus, & aura Deus.  
Illius iniusta patrio ui limite coetus  
Eiectos, nutu uindice dextra tegit.  
Præsidiumq; pijs immune Tyrannide turbis  
Præstat, & hostiles arcet amore manus.  
Impia dic quanto gens tempore crimine puris  
Insidias nocuo cæca furore strues?  
Quassatiq; instar iaculorum uerbere muri  
Concuties, iusti corpus inerme uiri?  
Pro merito uulgas quos nomine debet honores,  
Eripit impietas imperiosa bonis.  
Oblitaq; hostili calat mendacia fucos,  
Dicitur ore salus, corde uenena latent.  
Verum anima auxilio Domini mea fide futuro,  
Diuinus quoniam est spes modo tuta fauor.  
Arx Deus est cunctis à mundi aliena periculis,  
Exitio immuuis qua tibi uita manet.  
Dextra Dei petrae instar inexpugnabilis hosti  
Hac mea dante uiget gloria, robur, honos.  
Illam præsidio uobis sperate futuram,  
Omnipotensq; piè numen amate Deum.  
Atq; scopum uestris illum præfigite uotis,  
Spes quo fisa pijs irrita nulla uenit.  
At non promissis sacris fundata uoluntas,  
Viribus aduerso turbine quassa iacet.

Robora



Robora quæ iactat, paruis impulsa procellis,  
Nil subito in nihilum clade redacta ualent.  
Ergo ne iniustus securi fidite causis,  
Nec prædas pariat cæde cruenta manus.  
Diuitias domui largas fortuna ministrat,  
Esse iugo illarum libera corda decet.  
Munus opes hominum mentes cœleste serenant,  
Gratia munifici quas parit alma Dei.  
Omne gubernat opus nutu diuina potestas,  
Ordine distribuens conueniente uices.  
Sola Dei rebus meditatur amica uoluntas  
Successum, ut crescat prosperitate uigor.

## PSALMVS LXIII. DEVS

Deus meus ad te luce uigilo &c.

**T**V mea spes Deus es cū mole gemisco laborū,  
Qua dempta misero nulla futura salus.  
Namq; anima aduersis mea crebro exercita fatis,  
Auxilijs imbiat freta fauore tuis.  
Membra tui desiderio, uitæq; procellis  
Languescunt, & opis protinus orba iacent.  
En monimenta tui lustrauit lumine templi,  
Ut tua laus oculis esset aperta meis.  
Te mea laudabunt autorem carmina uitæ,  
Nam mihi lapsa redit te tribuente salus.

D 3

Erge



Ergo tuas memori condam tibi pectore laudes,  
Adq; poli letas astra leuabo manus.  
Tunc mea se fructu faciabit honoris opimo  
Vita, triumphales edet & ore sonos.  
Sepe tui recubans meditor præconia strato,  
Gratificaq; tuæ mente recordor opis.  
Adiutor duris quoniam es mihi casib, acto,  
Tutelæ auspicio letus ouabo tuæ.  
Freta tuæ auxilio tibi nostra salutis adheret  
Mens, tua quam patrio dextra fauore regit.  
Ast animam ausa meã est quib. infestare uolūtas,  
Ad Stygium hos adiget debita pæna lacum.  
Sanguinea ense cadent letatis corpora truncis,  
Atq; pudenda feris esca cadauer erit.  
Verum, ego, fortunæ licet hæc me tela fatigent  
Læticia, Domini fretus amore, fruam.  
Hoc tutore suos, uirtus quos armat, in hostes,  
Victrices referunt ad sua regna manus.

## PSALMVS LXIII. EX

audi Deus orationem meam etc.

**A**vre preces hauri Deus imo è corde pfectas.  
Eripiens animam uictor ab hoste meam.  
Cæcum à me insidias meditantem insontib. arce,  
Immune mq; omni protege cæde uirum.

Cæc



Ceu gladium exacuunt sua per conuicia linguas,  
Flammantisq; minas fulminis instar habent.  
Letali ut quatiant insontia corpora telo,  
Furtiuusq; cadat plurima turba dolis.  
Quos mihi ubiq; struunt cæco ceu retia fuco,  
Illarum dicunt præsciis ecquis erit?  
Lasuras alios illis furor exhibet artes,  
Per quas impietas perficit omne scelus.  
At Deus aduerso his intentat uulnera flictu,  
Interitus ut eant causa pudenda sui.  
Hos sua confundent tristi mendacia casu,  
Aspiciensq; illos, clade stupescet homo.  
Corde pia hanc cernet fatalem turba ruinam,  
Autoremq; operis laude sub astra uehet.  
Aq; Deo iustis uotis pendere salutem  
Gaudens, exemplo credula corda geret.

PSALMVS CXX, AD DO  
minum cum tribularer clamaui etc.

Quando malignorum furijs, odijsq; petebar,  
Corq; fatigabat sollicitudo meum,  
Quando graues morsus, & inanis acumina linguæ  
Cogebar paciens ferre, silere Deo,  
Quando mihi inflictum uulnus sub corde dolebat,  
Nec mutire, modo nutibus, ausus eram.

D 4

Quando



Quando salutis opem nusquam superesse uidebam,  
Et fragili exhaustus pectore penè fui.  
Deniq; quando miser nullum solamen habebam,  
Et rebus dubijs undiq; mersus eram,  
Ad tua confugi clementia numina supplex,  
Sancte Deus quo nil mitius orbis habet.  
In te spem posui, tibi pectore pronus adhaesi,  
Et petij ferres ut mihi solus opem.  
Ut me de rabie reproborum uindice dextra  
Eriperes, animo qui graue uirus habent,  
Et maculare meam petulanti gutture famam,  
Tum nocuisse mihi qualibet arte student.  
Et tunc aure meos gemitus mea uota benignè  
Accipiens, animum mox mihi prestò dabas.  
Talia quo forti ludibria pectore ferrem,  
Quasq; iacit petulans hostis ab ore minas.  
Ut mea perficerem, qua debeo, munera, norma,  
Et pluris facerem teq; tuumq; decus.  
Quam nomen famamq; meam, seuosq; dolores,  
Quos hostis rabido commouet ore mihi.  
Utq; tuo nutu posito in certamine tandem,  
Deuicto starem fortiter hoste meo.  
Talis cum fueris mihi saepe & saepe salutem  
Praestiteris, cura sic ubi pressus eram.  
Hinc mihi certa uenit fiducia, spesq; daturum,  
Te mihi difficili tempore rursus opem.

Hinc



Hinc audax iterum mœstis te accedo querelis,  
Et tibi cum lachrymis hæc fera probra queror.  
Me quibus iniuste traducit & obruit hostis,  
Et mea diffamat nomina, resq; meas.  
O Domine auxilium mihi confer, opemq; roganti,  
O mihi saluifico numine presto ueni.  
Meq; tua à labijs mendacibus assere dextra,  
Et linguis hominum, qui mala sola uomunt.  
Qui fraudes, tacitosq; dolos, & iurgia nectūt,  
Atq; omnem lapidem corde furente mouent.  
Scommata qui tantum fingunt, uulgoq; susurrant,  
Deq; bonis falso dedecus omne spuunt.  
Quid tibi lingua ferox, quæ sic grassatur in omnes  
Proderit, o uindex, iuste potensq; Deus.  
Quid dabit os uanum tibi, quid tibi futile labrum  
Addet, an ornabit nomen honore tuum?  
An tua facta canet, celebrabit & efferet unquam?  
An tua uirosa nomina uoce colet?  
Lingua uiri tetra conuicia fauce uomentis,  
Non secus ac uolucris missa sagitta ferit.  
Nec secus exitium molitur, & obuiat ira,  
Pectoribusq; bonis tristia damna facit,  
Quam si iuniperi ramalia corripit ignis,  
Obuia quæ folijs arida facta rubent.  
Ille ruit frondesq; crepans transcurrit, & omnes  
Carpit, & in cineres precipitanter agit



Fronibus aut reliquis maculas uolenter inurit,  
Quas duras subita perdere clade nequit.  
Heu mihi quod terras habito peregrinus & exul,  
Horrida quæ propriè Tartara nomen habent.  
Heu mihi quod terras Arabum colo, siccior aer,  
In fera quos armat iurgia, uicq; ciet.  
Heu mihi quam miti sedes habitare molestum est  
Cum reprobis, odio qui bona pacis habent.  
Iurgia qui tantum querunt, & publica turbant  
Ocia dissidijs, & sine fine fremunt,  
Qui flagrant odio tranquilli temporis, unum  
Hoc, ut Barbaries constituatur, agunt.  
Qui cupiunt linguis euertere regna, boatu  
Incendunt animos, arma uirosq; mouent,  
Qui calidas mentes in atrociam prælia cogunt,  
Omnia commiscunt, perdere cuncta uolunt.  
Qui pacem uiolant, & præcipitare laborant,  
Et nihil excepto turbine Martis amant.  
Non ego dissidijs delector, & acrib. iris,  
Vtile pacificus diligo pacis opus,  
Non calidas moueo mentes, animosq; lacecco,  
Ad fera crudeli bella gerenda manu.  
Constanter doceo pacem, confirmo quietem,  
Sedulus officij munera curo mei.  
Effrenes animos, & in horrida prælia pronos,  
Hortor ut absistant, pacis amentq; decus.

Erudio



Erudio uerè de relligionis amore,  
Utq; diu maneat prosper in orbe status.  
Ut uiuant homines, & conscia pectora recti,  
Plenaq; non dubia relligione gerant.  
Talia cum doceo, mox garrula turba malorum  
Surgit, & instructo classica Marte canit.  
Exitiumq; mihi mimitatur atrocib. armis,  
Et gladio extremum uult properare diem.

## PSALMVS CXL. ERIPE

me Domine ab homine malo etc

**O** Deus òipotens iustissime & optime Iudex,  
Quem penes è unum ferre potenter opus  
Quando mali cupiunt humana excindere uita,  
Innocuos homines qui tua iussa colunt,  
Officij; sui mandata fideliter urgent,  
Et tua non dubio numina corde timent.  
Auxilio succurre mihi, me surripe pressum  
Cladibus, insidijs, consilijsq; mali.  
Assere me positum magno in discrimine uita,  
Respice me pressum, meq; tuere manu.  
Quam uiolenter agit crudelis & impius hostis,  
Quam sedet, & Stygio spicula felle limit.  
Quam nil intactum studio, nil linquit inausum,  
Ut properet mortem, summaq; fata mihi.

Aspice



Aspice quam belli causas, & semina necit,  
Omnia quam tacita suspitione grauat.  
Quam ueluti florem sugit sibi dulce uenenum,  
Nigrius Illyrica quam pice pectus habet.  
Quam cupit alterius crescentem extinguere famã,  
Quam quærit tenebris exonerare caput,  
Aspice quam petulans conclamat, & incitat iram,  
Cõtra homines iustos, quã sua membra mouet.  
Ecce Gyganteos truncos, grandesq; lacertos  
Trux oculis quantas euomit ecce minas.  
Videris, hunc cœlum terrere minacib. armis  
Velle putabis, atrox tam furit, omne mouet.  
O Deus in tanto discrimine suffice presso  
Quæso mihi uires, & mihi dexter ades.  
Me defende tuis, age uirib. optimè uindex,  
Meq; tua miserum protege quæso manu.  
Assiduè contra me fingunt mentibus hostes,  
Omnes insidias, scommata probra, dolos.  
Struxerunt aciem, numerosa calumnia structa est,  
Omnibus induti fraudibus arma tenent.  
Stantq; die tota miscenda ad prælia structi,  
Inq; meam exitium mittere tela uolunt.  
Sic rabidas linguas acuerunt Cote ueneni,  
Serpentes ueluti quando furore tument.  
Sub labijs atra desumptum ex Aspide uirus,  
Subq; suo audendum pectore crimen habet.  
Custodi



Custodi me Sancte Deus, de fraudibus horum  
Eripe me, presso cladibus adfer opem.  
De manib. furijsq; mali uiolenter agentis,  
Te iusto & solo uindice liber eam.  
Da superare metum, da me superare ferendo  
Terribiles hostes, auxiliator ades.  
Auxiliator ades Deus, aspice & exere uires,  
Nunc mihi praesidio presto iuuante ueni.  
Presto meas partes age, suffice robora cordi,  
Insere nunc animum, consiliumq; mihi.  
Ecce mali studijs mihi caeco & Marte propinquant,  
Et cupiunt armis me superare suis.  
Dira mihi intentant sublatis praelia dextris,  
Interitumq; meum proposuere sibi.  
Iratis animis, fastuq; tumente tumescunt,  
Viperijs odijs corda repleta gerunt.  
Occultè laqueum posuerunt, crura meorum  
Ut subita caperent illaqueata pedum.  
Et longos extenderunt in gramine funes,  
Qua uia communis ducit, & extat iter.  
Tendiculas & rete mihi fraudesq; pararunt,  
Et mihi conati sunt properare necem.  
Tunc Domino dixi: Deus optimemaxime, cuius  
Principium aut finem nemo referre potest.  
Tu Deus es solus mihi uerum & amabile numen,  
Supplice te tantum relligione colo.

Te solum



Te solum agnosco uerumq; Deumq; potentem,  
Agnitione tui iam peto certus opem.  
Vota tibi facio feruens in tempore duro,  
Accipe placata supplicis aure preces.  
Tu Domine es uirtus mea maxima, sūma facultas,  
Maxima uis, summum robur, & ipsa salus.  
Tempore quo bellis urgebar, & arma mouebant,  
Multiplices hostes insidiosa mihi.  
Iamq; figurabant animo se uindice ferro,  
Fracturos uitæ stamina curta meæ.  
Tunc instar clypei mihi robur, opemq; tulisti,  
Arma repercutiens in caput actæ meum.  
Tunc caput ipse meum texisti uindice dextra,  
Præsidiq; tuo saluus ab hoste steti.  
O Domine iniustos nunquam permitte potiri,  
Horribili uoto delicijsq; suis.  
Successu priuentur, eant pessum omnia, retro  
Præcipitanter eant omnia, quicquid agunt.  
Ne nimis euentu spirante inflentur, & ausint  
Exaltare suam prosperitate caput.  
Et tua proculcent audaci nomina fastu,  
Nequicia inq; sua gaudia leta ferant.  
Hoc ego, qui frenos animo linguæq; feroci  
Ponere non norunt, hostibus opto meis.  
Ut labor ipsorum labiorum & triste uenenum,  
Defluat in proprium, talibus omne, caput.  
Et cæcæ



Et cerebrum inuoluat, totumq; obnubilet ausum.  
Fingere tot fraudes inuolucrumq; mihi.  
Quo captus tegerer, tectusq; repente perirem,  
Hostibus iniustis imprecor ista meis.  
Ut super ardentem carbonem prepete lapsu  
In faciem & furijs pectora plena cadant.  
Ut super incensas flammis, ignesq; ferantur,  
In foueas olidæ deiciantur aquæ.  
Exspirent animam submersi in tristibus undis,  
Et digna pereant crimine morte suo.  
Immorientur, eant pessum, turbentur in imum.  
In fundo iaceant, permaneantq; lacus.  
Hoc positum est nutu Domini, uir inutilis, excors.  
Corde ferox, atro qui premit ore pios,  
Qui uanum loquitur, fucis mendacia uelat,  
Et iustos lacerat, dilaniatq; probris.  
In terra profugus, certis sine sedibus, exul  
Ibit, inops, nusquam gratus, ubiq; miser.  
Nam Deus adflicti curas, & uota uocantis  
Respicit, & uindex impia facta notat.  
Iudicium exercet, iustoq; examine iustum  
Iudicat, iniustum damnat & odit opus.  
Vindicat oppressos, inopes & pacis amantes,  
Supplicijs urget quos iuuat esse malos.  
Qui scelerum indulgent peruerso corde furori,  
Nec sua pergendo relinquere facta uolunt

Erge



Ergo tibi cœli moderator, & arbiter æqui  
Es qui iusticiæ nil nisi norma, Deus  
Ex animo iusti præconia libera dicent,  
Gratificoq; tuum nomen honore uehent.  
In tua se credent clementia pectora, coram  
Te uiuent hilares, & tua iussa colent.  
Pacifico terras habitabunt tempore læti,  
Perpetuoq; tibi carmina grata canent.  
Et dilecta tuo cordi pars illa manebunt  
Numine quam serues, secula donec erunt.

PSALMVS LXX. DEVS  
in adiutorium meum intende &c.

**P**essima deciduo uoluntur secula mundo,  
Omnia sunt turbis plena, quiete uacant.  
Cum regnis hominum mentes & corda feruntur  
Prona sub occasum, cuncta subinde ruunt.  
In peius retro labuntur, & incita motu  
Horribilis Sathanae præcipitanter eunt.  
Imperij formæ paulatim, & cura regendi,  
Peccandi crebro languida more cadit.  
Bella duces animis agitant, & prælia tantum,  
In sua crudeli uiscera cæde ruunt.  
Imperia aspicias solum tormenta piorum  
Dixeris, heu quantum pectora noctis habent?  
Heu



Heu quā cor hominis perversū est, quamq; superbū,  
Quam miserū, accensū quanta furore mouet;  
Heu quibus ærumnis præsentia secula currunt,  
Quam pauci curam religionis hñt.  
Proh dolor assidue magis & magis ægrior ætas  
Nascitur, & pœnas impietate uocat.  
Degeneratq; suis uicijs à laude parentum,  
Barbariemq; probat, diligit, ornat, amat.  
Disciplina ualet, petulantia libera regnat,  
Omnibus est licitum uerba pudenda loqui.  
Nec status Imperij tantum per crimina nutat,  
Et uarias subeunt regna soluta uices:  
Verum etiam concors Ecclesia turbine mundi,  
Et uice regnorum, tristia damna facit.  
Flammescunt odijs, rapiuntur amore nocendi,  
Pectora doctorum mutua bella gerunt.  
Quorundam ex odio multi noua schismata querūt,  
Pax quibus est bellum, bellaq; grata quies.  
In socios animos animi certantibus iris  
Insiliunt, probris scommata mixta uolant.  
Aspera miscentur uirosis prælia linguis,  
Eripitur iustis gloria, uita, fauor.  
Talia per mundum spectacula tristia fiunt  
Talia coguntur, cernere, ferre pij.  
O Deus in tanto miserandæ turbine uitæ  
Ne, rogo, me miserum clade perire sinas.

E

Auxiliare



Auxiliare mihi, succurre in tempore, praesens  
 Eia ades, accelera, dum furor instat, opem.  
 Consilio confunde malos, pudor occupet omnes  
 Qui querunt animam perdere fraude meam.  
 Pectore retrorsum uertantur, & ore rubescant,  
 Perniciosa mihi qui mala corde uolunt.  
 Mens ignomiam paciatur, et uista pudore  
 Sordeat infami, sit maledictus homo.  
 Confundatur homo, pudefiat, & horreat, ausus  
 Insultare meis dicere & euge malis.  
 Exultent animis, effusaq; gaudia ducant,  
 Qui tua uestigant nomina, teq; colunt.  
 Leticia exiliant, & toto pectore dicant:  
 Semper adorando laus sit honosq; Deo:  
 Magnificetur honos Domini, sua gloria crescat,  
 Et dicant iterum qui tua iussa colunt:  
 Ardua maiestas Domini per secula duret:  
 Salua sit ipsius gloria, saluus honor.

F I N I S.

D. CHRYSOSTHOMVS  
 super Matthæum.

Malum hominem melius potest aliquis tacendo  
 uincere, quam respondendo. Quia malitia non  
 destruitur sermonibus, sed excitatur. Ideo Domi-  
 nus recedendo compescere studuit, quos respon-  
 dendo non compescuit.



**S**EQVENTES PAGELLAE NE  
SVACVAERESTARENT BONO  
cōsilio addere libuit quaedam insignia tum sacra, cum  
Prophana dicta, præcipuè autem ex Prouerbijs Sa  
lomonis, & sententijs Syracidis ordine per singula  
Capita desumpta, taxantia & detestantia ualdè  
pernitiosam, insidiosumq; malum, et uitium Calum  
nia, simulq; diuinas, graues, & futuras poenas  
omnibus Sycophantis, qui natura planè distorti, ui  
rulenti & suspicaces, pleniq; liuorum sunt, denun  
tiantia.

Vt autem hæc ualdè salutaria, & seuerissima  
præcepta diuina, isto nostro peruersissimo seculo  
multorum pectora efficaciter subeant, copiosumq;  
fructum producant, Deum fontem mutui amoris  
propter adflicte Ecclesie, communisq; uitæ uti  
litatem, & ualdè necessariam consociationem, ar  
denter precor.

**EX PROVERBIORVM SALO-**

monis Capite tertio.

Subsannatores Dominus subsannat.

Et humilium miseretur.

**EX PROVERBIORVM SALO-**

monis Capite quarto.

Depone peruersos sermones, & blasphema  
labra remoue abs te.

E 2 Ex



EX Prouerbiorum Salomonis Capite

Sexto .

Nihili homo , uir iniquus, ore peruerso incedit. Fingit uultum ac incessum , digitis gesticulatur, peruerso corde malum semper molitur, et contentionum author est. Proinde mox obruetur calamitate, contereturq; neq; quisquam ei mederi poterit.

Item.

Hæc sex odit Deus, Septimum uero planè abominatur: Superbos oculos, Mendacem linguam, Manus quæ innocenter sanguinem fundunt, Cor properans ad mala, Testem mendacem, Autorem dissensionis inter fratres.

EX Prouerbiorum Salomonis Capite

Decimo .

Vena uitæ , os iusti.

Os impiorum iniuria obruet.

Item .

Dissimulant odium mendaces.

Qui profert contumelias insipiens est.

Item.

Garrulus non uitat peccatum.

Prudens est qui labia sua frenat.

Item .

Os iusti propugnabit scientiam.

At lingua peruersa perit.

Item



Item.

Labia iusti meditantur bona.

Sed os impiorum peruersa meditatur.

Ex Prouerbiorum Salomonis Ca-  
pitate undecimo.

Qui famam proximi laedit, stultus est.

At uir intelligens tegit probra.

Item.

Susurro, seu qui ambulat fraudulentem, reuelat  
arcanum. At qui fideli animo est, amici commissum  
celat.

Ex Prouerbiorum Salomonis Ca-  
pitate Duodecimo.

Ex fructu oris quisq; saturabitur homo.

Et retribuetur homini iuxta opera sua

Item.

Temerè loqui perinde est, ac gladio fodere.

At sapientum lingua salubris est.

Item.

Verax labium firmum erit in perpetuum.

Et mox uariat mendax lingua.

Ex Capite Prouerbiorum Salomo-  
nis Decimotertio.

Qui custodit os suum, custodit uitam suam.

Qui autē temerè aperit labia sua terrebitur.

E 3

Item



Item.

Mendacium odit iustus.

At impius confundit, & maledicit.

Item.

Prorsus inter superbos est contentio.

Et apud consultos sapientia est.

Ex Prouerbiorum Salomonis Ca-  
pite Decimoquinto.

Mollis responsio mitigat, & frangit iram.

Sermo uero asper, seu durus, prouocat iram.

Item.

Salubris lingua lignum uitæ est.

Et fallax lingua perturbat animum.

Item.

Vir iracundus excitat contentionem.

At paciens sedat contencionem.

Item.

Cor iusti meditatur quid respondeat.

Os uero impiorum effundit praua,

Ex Prouerbiorum Salomonis Ca-  
pite Decimosexto.

Homo peruersus excitat contentionem.

Et delator saepe inter Principes dissidium concitat.

Ex Prouerbiorum Salomonis Ca-  
pite Decimosextimo.

Malus



Malus auscultat improbo sermone.  
Mendax obsequitur perniciose lingue.

Item.

Contentiosus semper querit iurgia, & malum machinatur, Sed in crudelem nuncium tandem incidet.

Item.

Litis initium perinde est, ac sicubi alueum ruperit aqua. Et ex maledictis lis late spargitur.

Item.

Qui celat alienum delictum, querit amicitias, facitq; ut ametur. At qui palam facit rem, inter Principes disidium concitat.

Ex Prouerbiorum Salomonis Capite Decimo octauo.

Cui uoluptas est dissensionem concitare, is captat ubiq; rixandi occasionem.

Item.

Labia stulti rixantur.  
Et os eius pugnam prouocat.

Item.

Verba delatoris uerbera sunt, & penetrant mentem.

4

(E

Item



Item.

De fructu oris uir saturatur.

De prouentu labiorum uenter saturatur.

Item.

Mors & uita in lingua potestate sunt.

Et qui curant linguã, comedent fructus eius.

Ex prouerbiorum Salomonis Ca-

pite Decimonono.

Mendax testis non erit impunitus.

Et loquens mendacia, peribit.

Ex prouerbiorum Salomonis Ca-

pite Vicesimo.

Gloria homini est desistere à lite.

Et omnes stulti conuiciabuntur.

Item.

Ne coniūge te cum susurrone, quia arcana re-  
uelat, & blandicijs fallit.

Item,

Qui colligit thesauros lingua mendaci, fru-  
strabitur, & periclitabitur de uita.

Ex Prouerbiorum Salomonis Ca-

pite Vicesimoprimo.

Qui custodit os suum, & linguam suam, cu-  
stodit animam suam à tribulationibus.

Item.

Testis mendax peribit, & qui solet auscula-  
re, is uicissim audietur.

Ex pro-



Ex Prouerbiorum Salomonis Ca-  
pitate Vicesimosecundo,

Ne habeas commertium cum homine iracun-  
do. Et cum uiro furioso ne uersare, ne addiscas mo-  
res eius, & accipias scandalum animæ.

Ex Prouerbiorum Salomonis Ca-  
pitate Vicesimosexto

Carbo prunas, ligna ignem accendunt, uir con-  
tentiosus rixam,

Item,

Verba delatoris perinde sunt ac uerbera, pen-  
netrantq; penetrabilia pectoris.

Item.

Labijs suis prodet se inimicus, & cum appro-  
pinquat, struit insidias.

Item.

Lingua mendax non fert improbantem.  
Et os blandum perniciem adfert.

Ex prouerbiorum Salomonis Ca-  
pitate Vicesimoseptimo.

Crudelis est iracundia, & ira,  
Et quis coram inuidia consistet?

Ex Prouerbiorum Salomonis Ca-  
pitate Vicesimo octauo.

E S

Superbus

angustia



Superbus excitat lites.

At qui fedit Deo, pinguescet.

Ex Prouerbiorum Salomonis Ca-  
pite Vicesimonono.

Si sapiens litigarit cum stulto, siue irascatur,  
siue rideat, placari stultus non potest

Item.

Iracundus homo lites excitat, & sepe peccat.

Ex Prouerbiorum Salomonis Ca-  
pite Tricesimo.

Ne accuses seruum apud herum suum, ne tibi  
conuitium facias, ac poenas des.

Item.

Cum per stulticiam effers te, et moliris malum,  
comprime manus. Nam si lac crebrius tundas,  
butyrum fiet. Si emunxeris nares uehementius,  
sanguinem elicies. Ita & acerbius irasci, lites exci-  
tant.



Delingua



DE LINGVA OBTRACTA  
TRICE QVEDAM INSIGNIORES  
SENTENTIAE IESV SYRACI-  
da, ex singulis Capitibus breuiter  
excerpta.

Caput V.

**N**E sis susurro, neq; cuiquã detrahas lingua  
tua, Turpissima quidem res est esse furem.  
At longe scedius est esse detractorem. Ne parui fa-  
cias, seu exiguum sit siue magnum in quo obtractas.  
Non commoueat te quicquam, ut erga amicum  
mutes uoluntatem. Nam eiusmodi obtractatores,  
tandem pudefiunt.

Caput VI.

Pleriq; amici sunt, qui leui momento inimici  
fiunt, tum sic acerbi, ut, si uel parricidium de te nos-  
sent proferrent foras.

Caput VII.

Non moueto seditionem in ciuitate, nec adha-  
reas uulgo, ne plectaris dupliciter, neq; .n. quicquã  
eiusmodi impunẽ abit. Ne cogites, Deus pro hoc  
mea magna sacrificia acceptabit, & cum coram al-  
tissimo hostiam obtulero, placabitur.

Item



Item,

Ne mendacia fingas aduersus fratrem, aut a-  
micum tuum. Non adsuefacias te ad mendacium,  
Nam hac praua consuetudine nihil est nocenti-  
us.

Caput X.

Noli condemnare ullum causa non cognita,  
Cognosce primum, deinde de poena statue.

Item.

Noli ferre sententiam re non audita, dicant  
primum causam, qui audiuntur.

Caput XII.

Cor dolosum simile est auiculae aucupis, pro-  
posita uolucris ad insidias, & totum attentum  
est ut te capiat. Nam quod boni uidet, interpre-  
tatur in pessimam partem, et omnia optima scelerate  
deprauat.

Exigua scintilla, saepe erumpit in maximum  
incendium, & impius non desinit, donec effundat  
sanguinem. Caue ab eiusmodi nebulonibus, nihil  
boni in animo habent, ne contumelia te adficient  
perpetua. Si susceperis extraneum turbabit quie-  
tem tuam, & ex tua possessione eiciet te.

In eodem Capite.

Inimicus uerbis quidem utitur mollibus, &  
dolens uicem tuam, simulat candorem, & amicitia-  
m, adeoque



am, adeoq; collachrymatur, In corde autem cogi-  
tat, quomodo te precipitet in foueam, Et si occasio  
detur, non potest exsaturari sanguine tuo: Et  
sepe inter nocituros tibi accurrit primus, & tamen  
uenit quasi laturus opem, atq; ita clanculum euertit  
te, & nunc (ne dubita) mouebit caput suum, in  
sinu gaudebit, & uultu ad sannas composito, ride-  
bit te.

Caput XIX,

Leuitas est nimium esse credulum, Et qui pa-  
titur se falli, sibi ipsi infert damnum.

In eodem Capite,

Si quid de proximo audis mali, noli prodere.  
Nihil tibi nocebit si taceas, neq; amico dicas. Noli  
proferre, si illa conscientia tacere potes. Nam  
homines quidem audiunt & attendunt, sed nihilo-  
minus oderunt te.

Si quid audisti, hoc abditum sit, & tecum se-  
peliatur, & habebis conscientiam quietam, neq;  
enim ideo uenter tibi disrumpetur.

Stultus autem erumpit, non aliter atq; matu-  
rus foetus. Cum uerbum aliquod est in corde stulti,  
perinde est atq; telum haerens in foemore

Loquere primum proximo tuo forsitan id mali  
non fecit, uel si fecit, ut de coetero non faciat.

Alloquaris



Alloquaris primum amicum tuum, saepe mendaciter traducuntur homines, non ergo omnia credas quae audis. Saepe excidit uerbum, hominibus nihil acerbè affectis. Et quis est cui non aliquando uerbum, parum attento excidat?

PRIMUM ergo alloquere amicum tuum, antequam tumultueris apud eum & cogita de mandato Dei. Timor Dei facit ut prudenter te geras in omnibus factis, Et praeceptum Dei, ut sapienter agas in omnibus negocijs.

Dolus & calliditas, non est sapientia, & impiorum technæ non sunt prudentia, Sed omnia eiusmodi nihil sunt quam malitia, idolatria, mera fatuitas, & insipientia.

Melior est mediocris prudentia, coniuncta cum timore Dei, quam excellens sapientia, coniuncta cum Prophanitate, & contemptu Dei.

Pleriq; sunt ingeniosi, & tamen scelerati, noruntq; inuertere & miscere negotia ut uolunt. Hij norunt obstipo capite incedere & seuro uultu, & tamen dolus subest merus. Inedit demisso uultu, & auribus plus satis eruditus audit, Nisi obserues eum attentus, praerertet te incautum. Et  
licet non



licet non satis uirium uideatur habere ad nocendum,  
tamen cum suam occasionem & tempus captarit,  
comprehendet te, Sæpe in uultu notas cernas huius  
doli, Et homo prudens, uel in gestibus hoc animad-  
uertit, Nam uestitus, & incessus, & risus eiusmo-  
di ueteratoris, produnt ipsum.

### Caput XX.

Sæpe quis proximum suum obiurgat, sed non  
satis in tempore, & prudentius faceret si tace-  
ret.

Qui multa garrit, fastiditur, & qui arrogat  
sibi potentiam, odio habetur.

Qui ostentationi student, conciliant sibi in-  
fortunium. Qui intra modum suum se continent, ex-  
altantur.

Homo rudis & agrestis, imprudenter effutit  
uerba, & pergit effundere omnia quæ in mentem  
illi ueniunt.

Stultus etiam si aliquid boni loquitur, tamen  
nullius momenti est, Nam non loquitur in tem-  
pore.

Mendacium in homine, turpissima macula est,  
uulgata tamen apud indomitos & rudes

Ne fur quidem tam sceleratus est, quam homo  
qui



qui ad mendacia se adsuefecit, sed tandem ad Coruos  
relegatur uterq;

Mendacium homini est res turpissima, neq;  
unquam mendax potest recuperare honorem  
suum.

Caput XXI

Susurriones ipsi sibi nocent, & nemo libenter  
eis conuersatur.

Caput XXII.

Etiamsi gladium stringas aduersus amicum, ta-  
men leuius est contumelia. Nam facile potestis re-  
conciliari si non uites eum, sed colloquaris illi. Om-  
nia sanabilia sunt præterquam contumelia. Contem-  
ptus, proditio secreti, fraudes, hæc sunt quæ abigunt  
amicos.

Antequam incendium erumpit in flammam,  
primum excitatur fumus & uapor: Ita post contu-  
meliam sequitur cædes.

Caput XXIII.

Filij discite continere linguam. Nam qui con-  
tinet os, ille non impinget uerbis, sicut impij, blas-  
phemi, & superbi per hoc cadunt.

Qui adsuefacit se ad contumelias (id est, ad-  
obrectationes, ad iudicandos alios) hic per omnem  
uitam non redditur melior.

Caput



Caput XXV.

Beatus qui sermone suo non damnum dat.

Caput XXVII

Sicut ex fructibus depræhenditur educatio arboris: Ita sermo est indicium mentis & animi.

Quando superbi contendunt, sequitur effusio sanguinis, et molestissimum est audire, ubi certatur conuicijs.

Qui detegit secreta, iacturam facit fidei, & nunquam fidum amicum nanciscetur.

Qui oculis innuit, aliquid mali uersat in animo, neq; facile ab eo auerti se patietur.

Coram te blandè loquitur, & omnibus sermonibus applaudit, uerum te absente loquitur aliter, inuertit tibi uerba tua. Nihili uehementius quàm hunc sic uersutum. Nam Dominus etiam tales odit.

Caput XXVIII.

Qui proijcit lapidem in altum, huic recidit in caput. Qui clanculam pungit, hic sauciat seipsum. Qui foueam fodit ipse cedit in illam. Qui alteri insidiatur, hic illaqueat se ipsum. Qui damnum inferre uult alijs, hic sæpe ipse plectitur, nesciēs unde hoc eueniat.

F

Superbi



Superbi exagitant, & derident alios, sed ultio  
expectat eos ut leo.

Homo iracundus accendit rixas, & impius  
inextricabilia miscet inter amicos bonos, & irritat  
eos, qui pacem habebant,

Quando multa sunt ligna, ignis eò fit ma-  
ior. Ita cum homines sunt potentes, eò grauius  
seuit ira. Et cum diuites sunt, furit eò uehemen-  
tius. Et quando contentio diu durat, tunc eò latius  
uagatur incendium.

Qui feruidus est nimium ad contentiones, ac-  
cendit ignem. Et qui ad rixam precipites sunt, ef-  
fundunt sanguinem.

Insuffla in scintillam, & excitabitur ignis  
maximus. Expue in eandem, & extinguetur. Et  
utramq; procedere potest ex ore tuo.

Susurriones & lingue uirulente sunt maledi-  
ctæ, quia apud multos turbant pacem.

Os obtrectatoris, & lingua uirulenta multos  
facit discordes, & agit eos de una terra in aliam,  
diruit urbes munitas, uastat Principatus. Os ob-  
trectatoris eicit domo matronas honestas, spoliatq;  
rebus omnibus, quas ingenti sudore pararunt. Qui  
paret obtrectatirci lingue, irrequietus est, et nusquam  
manere potest in pace.

Flas



Flagellum in tergo uibices facit, sed uirulenta  
lingua conterit ossa, & omnia

Multi ceciderunt per aciem gladij, sed non tam  
multi, quam per linguas uirulentas.

Beatus qui custoditur ab ore uirulento, qui ab  
eo non adfligitur, & eius iugum non portat, eius  
casibus non irretitur. Nam iugum eius ferreum  
est, et laquei, eius aenei. Afflictio eius acerbior mor-  
te, & inferno.

Sapem pratexis spinosam tuis praedijs, quare  
non potius ori tuo obdis hostium, & repagulum?  
Aurum & argentum tuum expendis libra. Quare  
non trutinas uerba tua, in libella aurificis? Vide,  
ne quasi in lubrico per ea nutent pedes, & cadas  
coram inimicis tuis qui te obseruant.

#### Caput XXXII.

Noli proximo tuo conuitiari inter pocula, &  
non contumeliose tracta eum in leticia eius. Ne  
proscinde eum conuitijs, neq; asperis sermonib. oc-  
curre illi.

#### Caput XXXVII.

Homo callidus, potest aliquem praecipitare in ex-  
itium, Sed homo peritus, id praecauere nouit

#### Caput XLII.

Pudeat aut prodere, q. audisti, aut pferre in  
lucē arcana tibi concredita. F 2 SI



SICVT SVpra PROMISIMVS  
SEQVNTVR VLTIMO, SEN-  
tēciosa aliqua dicta seu præcepta, et Apophtegmata  
de Calumnia, mendacio, obtrectatione, temera-  
ria credulitate & alijs vicinis vitijs, quæ pas-  
sim in sacris, orthodoxorum, et prophæ-  
tis libris extant, breuissimè  
excerpta.

EXODI XX.

Non dices falsum testimonium contra proxi-  
mum tuum.

Leuitici Cap. 19.

Non mentiemini, nec decipiet unusquisq;  
proximum suum. Non eris Calumniator, nec su-  
surro in populo tuo.

Sap. Cap. 1.

Os quod mentitur occidit animam.

Ecclesiastes Cap. X.

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus  
habet qui occultè detrahit.

Matth. Cap. VII.

Nolite iudicare, ne iudicemini.

S. Paulus Rom. Cap. I.

Detractores Deo sunt odibiles.

I Corinth. VI.

Nec maledici, nec rapaces regnum Dei possi-  
debunt. Iacobus



IACOBVS IN SVA EPI-  
stola Capite I.

Sit omnis homo uelox ad audiendum, tardus  
autem ad loquendum, & tardissimus ad iram.

Item ..

Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui  
detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detra-  
hit legi, & iudicat legem.

I Petri III.

Qui uult uitam diligere, & dies uidere bonos,  
coherceat linguam suam à malo, & labia eius ne lo-  
quantur dolum.

D. AVGVSTINVS IN EPI-  
stola ad Hipponenses.

Cum ipsam scripturæ ueritatem criminari,  
aut obscurare non possunt, hos, per quos prædica-  
tur ueritas, in odium inducunt, de quibus effingere  
quicquid in mentem uenerit, possunt, unde iam  
Apostolicæ Prophetiæ tempus instare uidetur:  
ERIT TEMPVS IN QVO SANAM DO-  
CTRINAM NON SVSTINEBVNT.

Ambrosius.

Cauete fratres mendaciū, quia omnes qui amāt  
mendacium filij sunt Diaboli, non solum in falsis  
uerbis, sed & in simulatis operibus mendacium est,

F 3

se Chri-



se Christianum dicere, & opera Christiana nō face-  
re. Mendacium est Episcopum, Sacerdotem, uel  
Clericum se profiteri, & contraria huic ordini o-  
perari.

Idem.

Vt bene dicere, & laudibus efferre, princi-  
pium est amicitiae: Sic maledicere, & calumni-  
ari, inimicitiae, & odij, infinitorumq; malorum  
origo & materia est.

Idem.

Non dolendum si malè audiamus, sed si iure malè  
audiamus.

Idem.

Lingua maledica mala mentis index est.

Idem.

Qui fratrem suam criminatur, fraternas car-  
nes edit, existimatione eius lesa, & mille alijs malis  
lingua perpetratis.

D. HIERONYMVS EPIS-  
tola ad Nepotianum.

Cave ne linguam, aut aures habeas prurien-  
tes, ut alijs detrahas, aut alios detrahentes audi-  
as

Ibidem.

Plus peccat detractor qui amorem proximi à  
corde



corde alterius minuit, quam qui uictum ab ore pau-  
peris rapit, Nam sicut anima preciosior est quam  
corpus, sic grauius est animæ uictum auferre quam  
corpori

#### IDEM AD CELANTIAM

Nulli unquam omninò detrahas, & aliorum  
uituperatione non te laudabilem uideri uelis, magis  
uitam tuam ornare disce, quam alienam carpere.  
Et semper memor esto scripturæ dicentis. Noli  
diligere obtrectationes, ne eradiceris. Pauci etenim  
sunt, qui huius uitio renuncient.

#### IDEM IN EPISTOLA AD

Rusticum Monachum.

Sicut sagitta, si mittatur contra duram mate-  
riã, nonnunquam in mittentem reuertitur, uulne-  
ratq; uulnerantem: Ita detractor cum tristem fa-  
ciem uiderit audientis, imò non audientis, sed ob-  
turantis aures suas ne audiat sanguinem, illico con-  
ticescit, pallet uultus, hærent labia, saliuã sicca-  
tur.

#### A D E V N D E M E P I-

stola 34.

Cum detractoribus non commiscearis, quo-  
niam repente uenit perditio, tam eius qui detrahit  
quam eius qui accommodat aurem.

F 4

Idem



IDEM SVPER ECCLE-

siasten i

Serpentes & detractor æquales sunt. Quo-  
modo enim, ille mordens uenenum infert, sic ista  
detrahens sui pectoris uirus in fratrem effundit, &  
nihil habet amplius à serpente.

D. GREGORIUS LIB. 26.

Moralium.

Si is, qui corrigere nititur, ira superatur, op-  
primit antequam corrigat. Nam dum plus quam  
debet accenditur, subiustæ ultionis obtentu ad imma-  
nitatem crudelitatis effrenatur.

IDEM NATALI

Episcopo.

Deteriores sunt qui uitam, moresq; bonorum  
corrumpunt his, qui substantias aliorum prædiaq;  
diripiunt. Caucat itaq; unusquisque, ne aut  
linguam, aut aures habeat prurientes, ne aut ipse  
alijs detrahat, aut alios detrahentes audiat.

IDEM SVPER EZECHI-

elem.

Cum linguæ dorogantium corrigi nequeunt,  
equaminitèr sunt per omnia tolerandæ, nec de-  
tractionis



tractationis sermo timendus est, ne dum uiperatio  
peruersorum metuitur, recti operis uia desera-  
tur.

D. CASSIDORVS SVPER

Psalmum quintum.

Dentes dicti sunt à demendo. Ideo pulchrè  
linguæ detrahentium dentes uocantur Quia si-  
cut illi ciborum partes demunt: Ita & isti existi-  
mationem hominum corroduunt.

D. Basilius.

Ira excitat rixam, rixa parit conuitia, conui-  
tia ictus, ictus uulnera, & sepe uulnera mors sequi-  
tur.

Idem,

Præstat male audire, quam maledicere.

Rheginus,

Multi maioribus malis affecti sunt per Calum-  
nias, quam per hostes. Et multi magis lesi sunt  
ob aurium infirmitatem, quàm inimicorum firmi-  
tatem & insidias. Quam sententiam uenustè isti  
communissimi Germanici Rhitmi etiam explicant:

Disteln vñ dorn stechen sehr/  
Falsche zungen noch viel mehr.  
F v Bloch



Noch wolt ich lieber in dorn  
vnd disteln baden  
Denn mit bösen falschē zungen  
sein beladen.

Cleanthus.

Maleficientius Calumnia nihil est. Clam enim  
quodam modo cum persuasum deceperit, odium fingit  
aduersus eum, qui animo extra culpam est.

Anacletus.

Deteriores sunt qui Doctorum uitam, moresq;  
calumniantur, quàm qui diripiunt aliorum præ-  
dia.

MAXIMVS MONACHVS CEN-  
turia 4. Distinctione 88.

Non est labor animæ grauior, quàm Syco-  
phantia, siue quis ob fidem, siue ob uitam Syco-  
phantias perpeffus fuerit. Et nemo hanc potest  
contemnere, nisi ille solus, qui in Deum intentos  
habet oculos (ueluti Susanna) qui solus potest  
fidentes in se è periculis liberare, sicut & illam:  
Nec non homines certos facere, ueluti etiam de illa  
innocenter condemnata, & animam bona spe con-  
solari atq; erigere.

Isocrates



Gerson.

Nonnunquam facilius satis fit pro homicidio corporali, & furto, quàm pro Calumnia.

Isocrates.

Gladij plaga leuior est quam linguæ. ille enim corpus tantum, hæc animam uulnerat.

Idem.

Præua ingenia eadem solent esse & contentiosi, ut non prius faciant finem pugne, & contentionis, quam letalem acceperint plagam, & supplicio memorabili adficiantur.

Photius Patriarcha.

Qui facile alienas Calumnias admittit, ne ipse quidem similibus factis abstinet. Nam ipsa calumniarum admissio, innocenti quoq; qui admittitur in societatem, detrabere solet.

Menander.

Quisquis statim fidem habet Calumnijs, aut meritis improbis præditus est, aut ingenium habet prorsus puerile.

Idem.

Μὴ πᾶσι πάντα πείρω πάνσι πιστεύω ἄε  
Ne omnibus conare omnia credere semper.

Idem.

Χεῦδος διαβολῆ τοῦ βίου λυμᾶνεται.  
Mendacij crimen uitam ledit,

Polybius



Polybius Lib, 4

Cum aduersus socios atq; amicos aliquid nar-  
ratur, res omnis diligenter discutienda prius, quam  
Calumniæ fidem habeas.

Phocylides,

Μὴ πίστευε τὰ χλιστὰ περὶ ἀρετῆς, πρὶν ἴδῃς ἄκρην.  
Noli credere celerrime, antequam uerè finem uis-  
deas.

LAERTIVS DIOGENES DE VI-  
ta & moribus Philosophorum.

Qui in mendacio confidit, cito deficiet.

HORATIVS SERMONVM LIB.

1. Satyra 4.

Absentem qui rodit amicum:

Qui non defendit alio culpante: solutos  
Qui captat risus hominum, famamq; dicacis:  
Fingere qui non uisa potest, commissa tacere  
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Euripides,

Ἀκόλαστον ἔχε γλώσσαρ, ἀιοχιστῶ νόστον

Cicero,

Omnis autem & animaduersio & castigatio  
contumelia uacare debet. Cauendum est etiam ne  
maior poena quàm culpa sit, & ne eisdem causis  
alij plectantur, alij ne appellentur quidem. Pro-  
hibenda



hibenda est autem ira maximè in puniendo. Numquam enim iratus qui accesserit ad poenam, mediocritatem tenebit, quæ est inter nimium & parum.

Plutarchus.

Lingua blasphema, malæ mentis indicium est.

ISIDORVS DE SVMMO

bono Lib. 3.

Non solum ille reus est qui falsum de alio profert, sed & is qui cito aurem criminibus præbet.

Cato.

Litem inferre caue, cum quo tibi gratia iuncta est. Ira odium generat, concordia nutrit amorem.

Interrogatus Plato per quid nam cognoscere-  
tur sapiens, respondisse fertur: Sapiens cū uitupera-  
tur non irascitur, & non extollitur cum lauda-  
tur.

Eidem cum quidam narraret nonnullos esse,  
qui ipsum maledictis insectarent, inquit: At ego sic  
uiuam, ut illis non habeatur fides.

Socraticus ille Cynnicus cum audisset aliquem  
hominem moribus peruersis maledictis incessere  
Platonem, ohe desine, inquit, neq; enim tu male de  
illo dicendo fidem merebere, neq; is te laudando.

Aesopus



Aesopus interrogatus quid lucri accederet ete  
mendacio mentientibus, respondit ut ei, cum uera  
dicunt, fides non habeatur.

Thales interrogatus quid sit difficile, respon  
dit: Seipsum nosse. Rursus interrogatus quid fa  
cile. Respondit: Reprehendere alios.

Cum Pelopides strenuus miles apud Demona  
stem traductus esset, ut qui conuicia in eum diceret:  
Ego, inquit, opera eius respicio, sermonem uero non  
audiui.

Cleobolus illam ciuitatem maximè dixit com  
positam esse, ubi infamiam magis, quàm leges ciues  
etuant.

Philippum Alexandri patrem conuitio afficie  
bat quidam effreni lingua præditus, cumq; amici  
hortarentur ut conuiciatorem persequeretur, in  
quit ille: Non est hoc faciendum, ne amplius adse  
ctus, & implicatus plura in nos iaciat maledicta.

Aristoteles cum ab impudente quodam conui  
tiji lacefferetur: Tu (inquit) & conuitia facile  
audis, & libenter dicis, Mihi uero & dicere non  
consuetum, & audire inuicundum.



**S**imilium tum Prophanæ cum Sacræ scripturæ  
Sententiosorum dictorum, præceptorum, et  
Apophtegmatum in probatis authoribus copiosissimus  
numerus inuenitur. Ex quibus tamen quædam  
breuiter tantum excerpta sunt. Tuum autem  
candide lector erit, istum qualemcumq; authoris  
laborẽ æqui boniq; consulere, et crassiora aliqua  
cæteraq; tenuia non magni momenti typographica  
errata, quæ autori in magna festinatione scriptoq;  
sibi relegendo familiariter noto, obiter irrepsere,  
amicè corrigere.

Soli Deo Gloria in excelsis & pax hominibus  
bonæ uoluntatis.



VVITEBERGAE.  
EX OFFICINA TYPOGRA-  
PHICA VITI CREV-  
TZERI.



1611

1612

1613

1614

1615

1616

1617

1618

1619

1620

1621

1622

1623

1624

1625

1626

1627

1628

1629

1630

1631

1632

1633

1634

1635

1636

1637

1638

1639

1640

1641

1642

1643

1644

1645

1646



VITTEBERGA

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

PHILIPPO VITTI CRISTO

T. N. R. I.




Fol 3703


(X2270635)

m. 12









ALIQVOT  
PSALMI COMPLEC-  
TENTES QVERELAM  
ET ARDENTEM PRECATIO-  
NEM CONTRA HVIVS SECVLI  
præsentia, & ualde nuncusi-  
tata iniusta odia, fraudes, et  
calumnias Sycophan-  
tarum, carmine  
redditi.

CVM PRÆFATI-  
ONE EIVSDEM ARGV-  
MENTI.

Bilibaldus Ramsbeck  
Noricus.

Psalms 108.

*Pro eo quod ego diligo eos, aduersantur, &  
detrabunt mihi, ego autem orabam.*

Ecclesiast. Cap. 7.

*Non omnibus sermonibus accommoda cor-  
tuum.*

1556.